

Guizardino. Haverete inteso il tumulto seguito in ditta città, cosa molto spaventosa. Di fuori iudicavamo esser stà fatto a posta per taiar a pezzi il signor Duca, et altri erano con lui, che non erano più di persone 200. Le cose son pur acquietate. Damattina passeremo per mezzo Fiorenza con tutto lo exercito. Lo alozamento nostro sarà luntan da la città miglia do, su doi colesini. Li inimici poleno esser luntan de qui miglia 26, penso certo vegnirò a la giornata presto, se prozederemo avanti. Siamo alozati qui a Castello, luntan da Fiorenza miglia tre, dove li sono li più belli palazzi del mondo.

Questa lettera è scritta a sier Andrea Bolani so fradelo.

7¹) In Dei nomine Amen. Anno domini nostri Jesu Christi ab Eius salutifera incarnatione millesimo quingentesimo vigesimo septimo, indictione quinta decima, die vero Dominica vigesima octava mensis Aprilis, dicti anni. — Actum Florentiae in palatio illustrissimo Mediceo. Praesentibus venerabilibus viris domino Galeatio Hironimo Cufrudiri de Fani civitate familiari reverendissimi domini Sylvii cardinalis Cortonensis, et Bartolomeo olim domini Marci de Ferrariis Papiensis diocesis, testibus ad infrascripta omnia et singula vocalis, habitis et rogatis.

Cum excelsa Respublica dominorum Florentinorum, pro comuni bono et tranquillitate Italiae et totius reipublicae Christianae cupiat ingredi confoederationem et intelligentiam superiori tempore initam inter serenissimum et excellentissimum dominum Franciscum Dei gratia Francorum regem Christianissimum et serenissimum principem dominum Andream Gritti, eadem gratia Ducem et excellentissimum Dominium Venetiarum, ac pariter cupiens sic ingredi quamcumque confoederationem et intelligentiam in primis initam inter Sanctissimum dominum nostrum, dominum Clementem, divina providentia, papam septimum, et praefatum Cristianissimum regem, illustrissimum Dominium Venetiarum, ac illustrissimum Ducem Mediolani, ac fortasse alios seu renovationem et reformationem foederis veteris et per antea superioribus mensibus inter praefatos initi et percussi, Idcirco illustrissimus dominus Michael Antonius marchio Salutiarum locumtenens generalis Cristianissimi regis in Italia, agens vice et nomine ipsius Cristianissimi regis et

permittens quod eius Maiestas approbabit et ratificabit praesentem contractum et omnia in eo contenta in termino duorum mensium proxime futurorum; nec non clarissimus vir dominus Aloysius Pisanus procurator Sancti Marci ac praefati Illustrissimi Domini Venetiarum provisor generalis in castris, et dominus Marcus Foscarius ipsiusmet Domini apud excelsam Rempubblicam Florentinam orator, sindici et procuratores praefatorum Serenissimi Principis et Illustrissimi Domini Venetiarum, habentes ad infrascripta omnia expressum et speciale mandatum per patentes litteras plumbeas dicti Illustrissimi Domini Venetiarum diei 23 mensis praesentis, nec magnificus dominus Scipio Attelanus orator illustrissimi domini domini Francisci Sfortiae ducis Mediolani apud illustrissimum dominum ducem Urbini generalem capitaneum praefati Illustrissimi Domini Venetiarum, et promittens quod ipse Illustrissimus Dux approbabit et ratificabit praesentem contractum et omnia in eo contenta in termino unius mensis proximi futuri, ex una, et clarissimi viri Domini Octoviri Praticae excelsae Reipublicae Florentinae in sufficienti numero congregati, videlicet Hironimus de Caponibus, Antonius de Paciis, Paulus de Medicis, Matheus de Strocchiis, Bartolommeus de Valoribus et Nicolaus de Dinais, agentes virtute auctoritatis eis attributae vice et nomine ipsius praedictae Reipublicae, ex altera, solemnem stipulationem inter se convenerunt, promiserunt et se obligaverunt ut infra, videlicet:

Primo. Inter suprascriptos illustrissimum marchionem Salutiarum et clarissimos viros Provisores generales in castris et Marcum Foscari oratorem, ac magnificum oratorem illustrissimi ducis Mediolani et clarissimos viros* Dominos Octoviros Praticae suprascriptos, omnes praesentes stipulantes, et recipientes, conventum est quod praedicta excelsa Respublica Dominorum Florentinorum de coeterno sit et esse intelligatur libere et expresse et tamquam principales in praefato foedere, liga et intelligentia comprehensa et ingressa, ac similiter in quocumque foedere et liga et intelligentia seu reformatione prioris foederis superioribus mensibus percussi et initi inter Sanctissimum dominum nostrum Clementem Divina providentia papam septimum, Cristianissimum regem et Illustrissimum Dominium Venetiarum, illustrissimum ducem Mediolani, et fortasse alios.

Item, partes praefatae, nominibus quibus supra, promiserunt et se obligant quod de coeterno nullum foedus, inducias, armorum suspensiones seu

(1) La carta 6* è bianca.